



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Sessio XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

## SESSIO XVI.

QVAE EST SEXTA.  
& vltima.

SVB IVLIO III. PONT. MAX.  
CELEBRATA DIE XXVIII.  
APRIL. M. D. LII.

## Decretum suspensionis Concilij.

**S**acrosancta œcumenica, & generalis Tri-  
dentina Synodus, in Spiritu sancto legi-  
timè congregata, presidentibus in ea Reue-  
rendissimis Dominis Sebastiano, Archiepiscopo  
Sipontino, & Aloysio, Episcopo Veronensi, Apo-  
stolicis Nuncijs, tam eorū proprio, quam Re-  
uerendissimi, & Illustrissimi Domini Marcelli,  
tit. S. Marcelli, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-  
dinalis, Crescentij, Legati ob a diuersā eius gra-  
uissimā valetudinem absentis, nomine, non da-  
bitat Christianis omnibus patere, hoc Conciliū  
œcumenicum Tridentinū primo à Paulo sel. rec.  
conuocatum, & collectum fuisse, deinde à san-  
ctissimo Domino nostro, Iulio III. efflagitate  
Carolo V. Augustissimo Imperatore, ea præ-  
cipuè de causa fuisse restitutum, vt religio in  
in multis orbis partibus, & præsertim in Ger-  
mania, in diuersas opiniones miserabiliter di-  
stractā, in statum pristinū reuocaret; abusus,  
& mores Christianorum corruptissimos emē-  
daret: cumque ad hoc agendum quamplurimi

Patris

Patres, nulla laborum suorum, periculorūque  
habita ratione, a diuersis regionibus alacriter  
confluxissent; resq; strenuè, magno fidelium con-  
cursu feliciter procederet, ac spes esset nō leuis,  
illos Germanos, qui eas nouitates excitarāt, in  
Concilium vētuos sic animatos, vt veris Ec-  
clesiasticationibus vnanimiter acquiescerēt lux  
denique quedam reb affulsiſſe videretur: ca-  
putq; attollere inciperet, proſtigata antea, &  
afflicta Reſpublica Chriſtiana: ij repētè tumul-  
tus, ea bella hoſtis generis humani verſutia ex-  
arſerunt, vt Concilium velut herere, ac ſuum  
curſum interrumpere ſatis incommodè cogere-  
tur; ſpesque omnis vltioris progreſſus hoc in  
tempore tolleretur. tātūq; aberat, vt San-  
cta Synodus Chriſtianorum malis, & incōmo-  
dis mederetur, vt multorū mentes, præter ſui  
animi ſententiam, irritaret potius, quā placar-  
ret. Cū igitur ipſa Sancta Synodus, omnia, &  
præcipuè Germaniam armis ardere, & diſcor-  
dijs, videret; oēs ſerè Episcopos Germanos præ-  
ſertim Principes Electores, ſuis cōſultum eccle-  
ſijs, è Concilio abiſſe; decreuit tātæ neceſſitati  
nō reluētari, & ad meliora tempora reticere;  
vt Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis o-  
uib; proſpectum ad ſuas eccleſias regredi va-  
lerent; ne diutius vtrōbique inutili otio cōte-  
rantur. Atque ita, quoniam ſic temporum cō-  
ditio tulit, huius œcumenici Concilij Triden-  
tini progreſſum per biennium ſuſpendendum

fore

fore decernit, prout presenti decreto suspendit, ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit ac tranquillitas pristina vertatur, quod sperat. Dei Opt. Max. beneficio non lōgo fore spatio futurū, ipsius Concilij progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem, vigoremq; habere censeatur: sin autem, quod Deus auertat, per actū biēnio prædicta legitima impedimēta nō fuerint submota; cū primū cessauerūt, talis suspensio eo ipsa sublata esse intelligatur, ac suus vigor, & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur, sine alia noua Concilij conuocatione, accedente ad hoc decretum consensu, & auctoritate Sanctitatis sue & sanctæ Sedis Apostolicæ.

Interea tamen eadē sancta Synodus exhortatur omnes principes Christianos, & omnes Prelatos, ut obseruet, & respectiue, quatenus ad eos spectat, obseruare faciant in suis regnis, dominijs, & ecclesijs omnia, & singula, que per hoc sacrum œcumenicum Concilium fuerunt hæctenus statuta & decreta.

B V L L A C E L E B R A T I O  
N I S C O N C I L I I T R I D E N T I  
ni, sub Pio IV. Pontif.  
Maxi.

**P**Ius Episcopus, seruus seruorum  
Dei, ad futuram rei memoriam.  
Ad Ecclesiæ regimen, licet tanto on-

ri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Christianæ partes, cernentesq; non sine magno horrore, quam longè lateque pestis hæresum, & schismatis peruasisset, & quãt a Christiani populi mores correctione indigeret; in eã curam, & cogitationẽ, pro suscepti muneris officio, incumbere cœpimus, quemadmodũ ipsas hæreses extirpare, tantumq; & tam pernitosum schisma tollere, moresq; adeo corruptos, & deprauatos emẽdare possumus. Cũ autem intelligeremus, ad hæc sananda mala aptissimũ esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consueuisset, & œcumenici generalisq; Concilij, eius congregandi, & Deo iuuante, celebrandi consilium cœpimus. Indictum illud quidẽ antea fuit à sel. rec. Paulo III. & eius successore Iulio, prædecessorib. nostris; sed varijs de causis sapius impeditum, & interpellatum perficere non potuit, si quidem Paulus: b cũ id primò in urbem Mantuã, deinde Vincentiã indixisset, quãsiã ob causas, in literis eius expressas, id primò suspẽdit. postea Tridentinũ trãstulit: deinde cũ quibusdã de causis ibi quoq; eius celebrãdi tẽpus dilatatum fuisset, tandẽ suspensione sublata, in eadẽ ciuitate Tridentina inchoatũ fuit. verũ Sessionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipsum se postea Conciliũ, aliquib. de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiã transfudit, Te-

a fol. s. b.

b sup. in  
prima  
bulla.c supra  
sess. 1.

lius

a Sess. 1.  
cum seq.

lius autem, qui ei successit, in eadem ciuitate Tridentinam id reuocauit. quo quidem tēpore facta alia quedam decreta sunt; a sed cum noui in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent; & bellum in Italia & Gallia grauissimū exarsisset; rursus Cōciliū suspensum, & dilatum fuit, aduente nimirū humani generis hoste, alijsq; ex alijs difficultates, & impedimenta obijciente, ut tantum Ecclesiæ cōmodum, quod prorsus auferre nō poterat, saltem quam diutissimè retardaret. Quāto perē uero interea auctæ fuerint, & multiplicatæ, ac propagatæ hereses; quāto perē schisma creuerit sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre. Sed tādē pius, & misericors Dominus, qui nunquā ita irascitur, ut misericordie obliuiscatur, Regib; & Principib; Christianis pacem & unanimitatē donare dignatus est. Qua nos occasione oblata, maximam in sp̄e uenimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tātis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilii uia finis imponatur. Nos itaq; ad schisma, heresesq; tollendos, ad corrigendos, & reformandos mores, ad pacē inter Christianos Principes cōseruandam, celebrationem eius nō esse duximus diutius differēdam. Habita igitur cū uenerabilibus fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione maturata, factis etiam consilij nostri certiorib; carissimis in Christo filijs nostris, Ferdinādo Romano

Impe-

Imperatore electo, & alijs Regibus, atq; Prin-  
cipibus, quos quidē, sicut de eorū summa pietate  
& sapientia nobis pollicebamur, paratissi-  
mos ad ipsius Concilij celebrationē adiuuandā  
inuenimus, ad Dei omnipotentis laudē, honorē  
& gloriam, atq; vniuersalis Ecclesie vilitatem,  
de eorundem fratrum nostrorum consilio  
& assensu sacrum œcumenicū & generale Con-  
cilium, ex auctoritate eiusdem Dei, & beato-  
rū Petri & Pauli, Apostolorū, qua nos quoq; a  
in terris fungimur, freti, & subnixi, in ciuitate  
Tridentina ad sacratissimū diē resurrectionis  
Dominicæ proximē futurū indicimus, &  
ibi celebrandū, sublata suspēssione quacūq; sta-  
tuimus, atq; decernimus. Quocirca venerabi-  
les fratres nostros, omnib. ex locis Patriarchas,  
Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Ab-  
bates, ceterosq; quibus in concilio generali se-  
dere, & sententiā dicere, iure cōmuni, vel ex  
priuilegio, vel ex antiqua consuetudine, licet:  
vehemēter in Domino hortamur, & monem⁹,  
atque etiam aīstrictē percipiēdo mandamus,  
in virtute sancte obediētiæ, in vi quoq; iura-  
menti, quod prestiterunt, & sub pœnis, quas in  
eos, qui ad Concilia generalia conuenire negle-  
xerint, b sacris sciunt esse canonib. constitutas,  
vt ad Conciliū ibi celebrandū cōueniant intra  
eam diē nisi forte impedimēto fuerint legi-  
timo præpediti: quod tamē impedimentū p le-  
gitimos procuratores Synodo probare debebūt.

a Mat. 16.  
c. quāto.  
de trāsl.  
Episc. c. v.  
ni. vt ec-  
cl. benef.  
c. ad apo-  
stolicā. 6.  
pœ. de re  
iud. in 6.  
c. 1. de hō.  
eod. lib.  
Pelag. 2.  
in 1. ep.  
cir. prin.

b Conc.  
Cartha. 3.  
c. 43. infr.  
Sess. 24. c.  
2. in fin.  
reform.

Monemus præterea omnes, & singulos, quorum  
 interest, interesse ve poterit, vt in Concilio ad-  
 esse ne negligent. Carissimos verò in Christo fi-  
 lios nostros, Romanorum Imperatorē electū,  
 ceterosq; Reges, & Principes, quos optandum  
 sanè esset Cōcilio interesse posse, hortamur, &  
 rogamus, vt, si ipsi Cōcilio interesse non potue-  
 rint, at Oratores suos, prudētes, graues, & piet  
 viros, vtique mittant, qui ipsorum nomine illi  
 interfint, curentq; diligenter pro sua pietate,  
 vt ex eorum regnis, atq; dominijs Prælati sine  
 recusatione, ac mora, tam necessario tempore  
 Deo & Ecclesie officium suum præstent: eor-  
 dem etiā curaturos esse minimè dubitantes, vt  
 per ipsorum regna & dominia tutum ac liberè  
 iter prælatis, eorumque familiaribus, comiti-  
 bus, & alijs omnibus ad Concilium euntibus,  
 & ab illo redeuntibus pateat; benigneq; ac co-  
 miter omnibus in locis recipiatur, atq; tradit-  
 tur: sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoq; curati-  
 mus, quod ad tam pium & salutare opus per-  
 ficiendū, à nobis, in hoc loco cōstitutis, præsta-  
 ri possit: nihil, vt Deus scit, querētes aliud, vt  
 propositū habentes in hoc Concilio celebranda  
 nisi honorem ipsius Dei, dispersarū ouium re-  
 ductiōnem, ac salutem, & perpetuam Christi-  
 ane Reipublicæ trāquillitatem, ac quietem. T  
 verò hæc littere, & quæ in eis continentur, à  
 omnium, quorum oportet notitiā perueniant



ne quisquā ea excusatione uti possit, quod illa ignorauerit, praesertim cum nō ad omnes quos de his litteris certiores fieri oportet, tutius forsitan pateat aditus: volumus, & mādamus, ut in Basilica Vaticana principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cū in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam clara voce à Curiae nostrae cursoribus, seu notarijs aliquibus publicis recitentur: & postquā recitatae fuerint, ad valuas earū ecclesiarum, itemq; Cancellariae Apostolicae, & in loco solito Campi Florae affigantur: ibique, quo legi, & omnibus innotescere possint, aliquādiu relinquuntur: cū autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hāc, publicationem, & affixionem omnes, & singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos mēses à die publicationis, & affixionis earū, volumus perinde adstrictos, & obligatos esse, ac ipsismet ille coram edita, & lecta fuissent. Transumptis quoque eorum, quae manu publici alicuius notarij scripta, subscripta, & sigillo, & subscriptione alicuius personae, in dignitate ecclesiastica constitutae, munita fuerint, ut sine dubitatione ulli fides habeatur, mandamus, atq; decernimus. Nulli ergo omnino hominū liceat, hāc paginam nostrae indictionis, statuti, decreti, precepti admonitionis & adhortationis infringere: vel ei ausu temerario contraire. Si

H

quis

Quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, M. D. LXIII. Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno 1.

Antonius Florebellus  
Barengus.

SACROSANCTI OECUMENICI, ET GENERALIS CONCILII Tridentini.

SESSIO XVII.

QVAE EST PRIMA,  
SVB PIO IV. PONT. MAX.  
CELEBRATA DIE XVIII.  
IAN. M. D. LXII.

Decretum de celebrando Concilio.

**P**lacetne vobis, ad laudem, & gloriam sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, ad incrementum & exaltationem fidei, & religionis Christianæ, sacrum œcumenicum, & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu sancto legitime congregatum, ab hodierno die qui est xviii mensis Ian. anni à Natiuitate Domini M. D. LXII. Cathedræ Romane B. Petri Apostolorum Principis, cōsecrato, sublata quacumque

suspension-